

spicit, ut in eâ esse ipsi repugnet, & qui præcise vi suæ actualitatis illam perfectionem formalem dicit, quam reliqua composita per substantialem actum informantem habere solent, unicus est, nempe Deus T.O. M. & præter hunc alius non est dabilis. Hic quia ad nullam aliam potentiam realem, quam actuet, dicat respectum, ideo hoc modo actus absolutus potest vocari, quia tamen adhuc dicit relationem ad potentiam objectivam, cujus negationem importat, ideo hoc respectu actus Relativus potest appellari. Et sic propter diversitatem considerationis nunc absoluti, nunc respectivi nomine salutatur unus idemque actus.

§. 15.

Illi vero actus, qui tantum potentiam objectivam respiciunt, ita ut saltim in illa fuisse ipsis non repugnet, in duplici vicissim conspiciuntur differentiâ. Alii enim ita dicant negationem potentiaæ objectivæ, in qua esse potuerunt, ut vi suæ actualitatis solius includant perfectionem formalem, quam alia entia composita habere solent per substantialem actum informantem. Alii vero eandem negationem potentiaæ objectivæ in qua esse potuerit, dicunt, ut vi suæ actualitatis solius non includant perfectionem formalem, quam alia entia composita habere solent per substantialem actum informantem. Illi sunt Angeli, qui quoad id, quod vi suæ actualitatis solius habent illam perfectionem formalem, non diversificantur ab actu præcedente, sed quoad id tantum, quod potuerint esse in potentiâ objectiva; conveniunt cum actibus subsequenter in eo, quod in potentiâ objectiva esse potuerint, differunt autem per hoc quod ipsi habeant prædictam perfectionem formalem vi solius actualitatis suæ, quam sequentes non habent. Hi vero sunt

B 3 COM.